2

ERYCI PVTEANI
DE
ANNVNCIATIONE VIRGINIS-MATRIS ORATIO:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Louanij, in Æde Sodalitatis habita, VII. Kal. April. M. DC. XVIII.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthaſarem Moretum & Viduam Io. Moreti.
M. DC. XVIII.

SERENISSIMÆ

ISABELLÆ

CLARÆ EVGENIÆ,

INFANTI

HISPANIARVM,

PHILIPPI II. REGIS FILIÆ,

CAROLI V. IMP. ET REGIS NEPTI,

PHILIPPI III. REGIS SORORI,

ALBERTI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ,

PRINCIPIS BELGARVM CONIVGI,

SECVLI HEROINÆ,

PIETATE, IVSTITIA, CLEMENTIA,

OMNIQ. VIRTVTVM GLORIA

INCLYTISSIMÆ,

DE ANNVNCIATIONE VIRGINIS

ORATIONEM PVBLICE HABITAM

ERYCIVS PVTEANVS

MAGNO CVLTV

D. C. Q.

SERENISSIMA DOMINA,

VLTRA homines elogium extuli,& laudaui VIRGINEM,quæ hominum omnium conditionem vicit, Conditorem produxit. Quid maius,quàm Matrem eſſe Dei? Quid admirabilius,quàm è Virgine formari hominem?ex homine Deum?Cælum reliquit Cæli Auctor,& Aeternitati velut originem adiungens, clauſtra Virginalis ſubiuit vteri, vt fieret quod ſumus. Si imagine licet vti,dixerim,Puncto Infinitum, centro circulum, terrâ Cælum, Lunâ Solem, fonte Oceanum claudi. Tam arcano initio cuncta Religionis Chriſtianæ fundamenta conſiſtunt.Namque ſine viro concepit VIR-

GO, Deum paritura. cuius miraculi magnitudo ANNVNCIARI diuinitus debuit. Quid etiam? Miſſus à Deo Angelus loquitur: quippe muta hîc natura erat. Deus loquitur: hoc ſummum eſt. Ratio omnis & oratio tanto myſterio vincitur; VERBO omnia. Verbo, ſed æterno, ſed immenſo, ſed ineffabili. Hoc Verbum, admirandâ generatione humanæ ſortis anguſtiis circumſcriptum laudare ſuſtinui: De ANNVNCIATIONE, inquam, VIRGINIS verba publicè facere; prorſúſque Orationem formare, quæ argumento ipſo ingenioſa, maiori pietate, quàm doctrinâ aſſurgeret; maiori etiam tutelâ, quàm facundiâ ſe legentium fauori commendaret. Quemadmodum audita eſt, placuit: verumenimverò ne inſpecta euileſcat, tergeminum, quod præſcribo Nomen tuum

 faciet,

faciet, Isabella Clara Evgenia: & tot ſimul Virtutes,quæ nullo ſatis nomine explicentur.Proſapiâ & origine Inclyta,vitam cum fortunâ æquas,melior dubium, an maior. Pietas imprimis cordi eſt, Cælum eſt, Deus eſt. Hoc igni accenſa, Virginem colis, quæ Deum concepit, & peperit; quæ Cælum mortalium generi reſerauit. Colis Virginem, & ſic propitiam habes.Quæ vota, & non exaudita?quæ preces,& non ratæ? Ad nos quoq; redundant hæc vota, hæ preces:fructum capimus. & quia exemplo tuo pij ſumus,virtute tuâ felices;non eſſe malumus, quàm tui non eſſe. Iam verò vt tori thronique, ita pudicitiæ ac pietatis conſortem Principem habes,verè Principem;an ampliùs?Albertvm; ſi nec hoc ſatis, Avstriacvm. Sed ipſa Avstriaca, id eſt Optima Optimum

mum habes, Maxima Maximum: qui-
cum in ſummâ & propè diuinâ concor-
diâ hoc vnum tibi certamen eſt, Vter
Virtute præſtet; maioríque Religionis
molimine VIRGINIS gloriam propa-
get. Itaque templa, quæ in honorem DI-
VAE baſilico opere ſtructa, vtriuſque iun-
gunt Nomen, liberalitatem loquuntur:
donaria, quæ paſſim ſuſpenſa ac dicata, à
mente & manu vtriuſque ſunt: ſacra iti-
nera, quæ ſollenniter ſuſcepta, gemino
labore, imò veſtigio ſanctitatem teſtan-
tur: ſed quid niſi ſubditorum omnium
animos ad concordiam, & religionem
excitant? ad pacem, & felicitatem? Sanè
Principum pietas, populorum ſalus eſt.
Inter Deum hominéſque medij, tam-
quam Dij quidam Medioxumi; prout
ipſi Numen colunt, ſubditis conciliant:
digni amore & veneratione, ſi Aucto-

rem

rem fortunæ ſuæ ament atque veneren-
tur. In hoc faſtigio Dignitatis interpretes
& diſpenſatores diuinorum munerum
ſunt; adeóque Deum populis regendo
repræſentant; propitium, ſi boni & pij;
iratum, ſi mali ac peruerſi. Ipſi populi,
quamdiu boni piique, imaginem Dei,
& velut perſonam agnoſcunt in Princi-
pibus, atque ſuſpiciunt. non ſceptro, non
imperio graues, facili obſequio præſen-
tem maieſtatem tolerant. Noſtra igitur
hæc felicitas eſt: Vtrumque ex voto ha-
bemus Principem, & qualem alij optent:
qualem habere omnes velint, ſi intelli-
gant. Noſtra hæc etiam gloria eſt: A ve-
teri Religionis cultu ac ritu haud receſſi-
mus. Deus faciat, DIVA faciat, vt ſem-
per pij; támque benigno imperio diu fe-
lices ſimus! vt à quibus regimur, diu ſer-
uemur! Iterùm: Deus faciat, DIVA faciat!

Prin-

Principum enim vita, noſtra omnium vita eſt: Principum ſalus, ſalus omnium. Quæ ſollicitudo! quis metus! quis gemitus populorum nuper, cùm firmam alioqui valetudinem tuam, SERENISSIMA DOMINA, ſubita vis morbi, & velut tempeſtas concuteret! A Capite ad membra omnia Reipublicæ diffuſa ægritudo videbatur: tecum omnes in morbo, certè in cruciatu eſſe. Vnde quàm grauiter laborares, ſuo quiſque dolore indicabat. Sed reſpexit Pietatem tuam DIVA, & propitiam naturam eſſe voluit. Vigor rediit, ſed à VIRGINE: redierunt vires, quaſi iam cæleſtes. Quæ tum rurſus voluptas! quod gaudium! quæ lætitia populorum! omnes ſimul conualuiſſe diceres. Ego meum publico hoc ſigno animum, velut Soteriorum quodam Sacro, profiteri auſus ſum: in-

ſcribere Valetudini tuæ Laudes VIR-GINIS, quæ morbi malignitatem fregit; eo ipſo ferè tempore, quo ANNVNCIATIONIS memoriam annuâ religione celebramus; imò quo hæc à me publicè dicta ſunt. Pauca, ſi volumen ſpectas; multa, ſi argumentum. Hoc ſublime & ſummum eſt: magíſque coli, quàm inueſtigari debet. Ad ſummam, vbi de Pietate agitur, omnia magna ſunt: ſed peculiari ratione tuum, quidquid in honorem DIVAE imbecillitas Mineruæ meæ molitur. Sanè, quia nihil libentiùs, aut maiori affectu legis, quàm VIRGINIS laudes, admittes hoc munus, ingeniúmque meum ac ſtilum Diuino amabis elogio occupari. Vale, &, vt nihil felicitati noſtræ deſit, tecum SERENISSIMVS PRINCEPS valeat. Louanij, in Arce veſtrâ, XI. Kal. Maias ∞. IↃC. XVIII.

SALV-

SALVTATIONIS ANGELICÆ PIA PARAPHRASIS.

Lucæ I.

AVE GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM, BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS.

AVE *ſalutis* EVA, *Paradiſi non alumna, ſed Domina.* AVE *Mater omnium, quia Dei: tuâ ſorte, omnium felicitate læta.* AVE *in terrâ*, AVE *in Cælo: terræ enim, Cæliq́ʒ Regina es, totamq́ʒ naturam ſupplicem habes.* AVE *Magna,* AVE *Mitis,*

AVE GRATIA PLENA, *& a pleno miſericordiæ fonte riuulum ad nos Gratiæ deriua. Calent iſtæ aquæ, ignemq́ʒ habent, ſed Diuinum; ignem Caſtitatis, Puritatis, Sanctitatis. His aquis ablui, ſalutare eſt; hoc igne ardere, ſuaue eſt: ô Mater, abluar! ô Virgo, ardeam! cedant vitia, næui, labes, & quidquid impedire benignitatem Gratiæ Diuinæ poteſt. Gratiam poſcimus, Gratiam, Gratiam; vt Caſti, Puri, Sancti ſimus; & his Virtutibus Tui. Fac ô Virgo, potes,* GRATIA PLENA *es: fac ô Mater, potes,*

DOMINVS TECVM. *Quomodo* TECVM? *vt cum omnibus ille nouo eſſe beneficio incipiat, poteſtate* DOMINVS, *beneficio Seruus; Deus & Homo, Domini Seruiq́ʒ conditionem coniungens: ex Deo Deus,*

& tamen à Patre Filius: ex te Homo, vt tu Mater Dei, Mater Gratiæ eſſes, vt

BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS: *tu Virgo, tu Mater.* IN MVLIERIBVS, *quot fuerunt, ſunt, erunt. Electa è tot millibus, è tot myriadibus, quæ Mater eſſes, & Virgo permaneres. Verbo Æterno Mater, miraculo ineffabili Virgo. Audi Mater, audi Virgo,* BENEDICTA *miſeros, Potens egenos, Aeterna morituros. Audi, & in miſeriâ felicitas erit, in egeſtate copia, in morte vita, vbique Deus. Hunc agnoſcimus ex te natum eſſe, & colimus; quomodo natus ſit, non inueſtigamus. Nimia ſubtilitas errori proxima eſt. Diuina qui credit myſteria, intelligit: credit enim, quia non intelligit. Quid dicam? Templum ſcholâ ſanctius eſt: hîc non inquiritur Deus, ſed colitur; non examinatur, ſed laudatur. Tu fac Virgo, vt præ doctrinâ pietas placeat; vt Theologi ſimus, vbi nemo rudis eſt. Tua ſimplicitas, noſtra ſubtilitas ſit: credidiſti, Deum naſci poſſe, Virginem parere. Tua modeſtia, noſtra gloria: Dei Mater futura, Ancillam te nominas. Tua paupertas, noſtræ diuitiæ: in ſtabulo puerpera facta es, vt in præſepi Deum adorares. Adoraſti Ancilla, quem Mater complexa es. Cùm obſtupeſceres felicitatem tuam, obſequium affectu, affectum obſequio miſcuiſti: quippe in Filio habebas Deum. Nos quoque habeamus; ſed tuâ interceſſione, ô Mater, vt filij ſimus; tuâ Gratiâ, ô Virgo, vt benedicti vocemur, & ad ſalutis hereditatē detur euehi. Sic* AVE, *ô ſalutis, omniſq; boni* EVA.

ERY-

ERYCI PVTEANI
DE
ANNVNCIATIONE
VIRGINIS-MATRIS
ORATIO.

LÆTITIÆ quæro verba,vt omnium hodie pietatem exprimam. Omnium hic dies eſt; quem meum tamen peculiariter orationis obſequio faciam: diem magnum, diem expectatũ,&ſanctiſſimo ſalutis humanę auſpicio memorandum. Animo adeſte SODALES;cælum in terrâ, Deum in homine, in tempore æternitatem cogitate. Alia aliorum dierum Feſta,hæc arcana ſunt; alia ſollennia, hæc miracula. Vinci argumento, dicentis conatum,pietatis confeſſio eſt.O Cęlum! an quid maius eſſe poteſt, quàm Deum fieri Hominem, & humanæ naturæ anguſtias infinito dilatari? O Terra! an quid maius eſſe poteſt, quàm in Virginis vtero concipi Filium Dei? ſine labe, ſine contagio,ſine viro Virginem concipere? Repeto voces meas: Vinci argumento, dicentis conatum, pietatis confeſſio eſt. Satis erit, ſatis, ſi admirari pergam: ſatis, ſi ignorantiam profitebor.

Nimiùm ſapere, hîc eſt deſipere. Iterùm ſi philoſophetur Pythagoras, non quinquennij modò exilio vocem puniret; ſed mutus eſſet, neminemque in diſciplinam niſi mutum admitteret. Iterùm ſapiens ſi eſſet Socrates, iam nihil ſciret, & cum Philoſophiâ diuortium faceret. Reliqui in cælo non inuenerunt Deum, in terrâ quomodo agnoſcant? Sed tamen in re tam magnâ, & die tam magno, ſilentium nobis profanum eſt: intra
Lib.IV. Regum cap.VII. vocem contineri pietatis affectus nequit. *Hæc dies boni nuncij eſt, ſi tacuerimus, ſceleris arguemur.* A veſtro, SODALES, in Virginem cultu dicendi fiduciam capiam; meo ore, veſtro omnium animo loquar. Tu ô Virgo, ſuggere verba, quibus argumenti ſaltem magnitudinem inſinuem: in ſanctiſſimis viſceribus tuis VERBVM CARO FACTVM EST. Suggere orationem, quâ pietas explicetur: non ſine oratione hæc à Deo miſſa Legatio conſtitit. Quem vtero concepiſti, fac mente ego concipiam: ſic ipſe Deus loquetur. Inter δεσποτικὰς ἑορτὰς ANNVNCIATIO VIRGINIS eſt, quam Græci εὐαγγελισμὸν, vel χαιρετισμὸν appellant. Et quænam hæc ſacra? verbo comprehendam: ſacra. A Deo ad Virginem legatio eſt, quâ nec maior, nec ſanctior, nec felicior. A Deo eſt; & hoc ſatis, vt magnitudo intelligatur. Ad Virginem eſt; & hoc ſatis, vt ſanctitas. De ſalute generis humani agitur; & hoc ſatis, vt felicitas. Magnitudo hæc potiſſimùm Dei

erat,

erat, vt paruus fieret, nec Deum exueret. Sanctitas Virginis, vt Mater fieret, & Virgo permaneret. Felicitas mortalium, vt Deum viderent, & Virginis quoque filij dicerentur. Perierant homines, niſi Deus eſſet Homo: redire ad Deum homines non poterant, niſi ad homines veniſſet Deus. Hoc quod dico, annuâ religione colimus, & quotidie tamen veneramur. Semel efferam, & ſanctius omni linguâ, melius omni lege, vocabulum vſurpabo. CHRISTI INCARNATIO eſt: σαρκωσις eſt: lætum ſalutis & felicitatis auſpicium atque fundamentum, Diuinę & humanę naturę vinculum. Sanctiſſima, ô Sodales, & prorſus ineffabilis INCARNATIO eſt: cuius vt aliquam velut vmbram oratione ſequar, partim MYSTERIVM, partim RITVM & RELIGIONEM audebo explicare. Hi dictionis meæ, non autem lætitiæ fines erunt, & pietate veſtrâ ſtabilientur. MYSTERIVM amplum eſt: quidquid hominum cauſsâ diuinitus factum, hinc cœpit. Terram cum cælo, hominem cum Deo, finitum cum infinito comparate. Venit in terram Deus, ſed incarnatus: aſcendit in cęlum, ſed vt homines eueheret. Igitur quia carnem aſſumpſit, omnia quoque humana ſubiit, peccati tantùm expers. necatus eſt, vt denuò viueret: reuixit, vt in cælum, vnde ne quidem diſceſſerat, rediret. Hæc ſi in ordinem & comparationem deducantur; primum eſt, in vtero Virginis

conci-

concipi; vltimum, in cælo conſpici, ſed quemadmodum incarnatus, natus, mortuus fuerat, Deus & Homo æternùm victurus, æternùm regnaturus. Sic quidem vt ſanctiſſimum, ita antiquiſſimum hoc feſtum eſſe, Cyrillus, alijq́ue teſtantur. Nulla adhuc memoriâ annuâ, Sodales, reliqua Virginis myſteria colebantur, & ANNVNCIATIONEM religioſus cultus exceperat: poſtquam verò tam lætæ Legationis nomen in faſtos Chriſtianos venit, paullatim ſe pietas dilatauit. Quotannis vitæ Virgineæ compendium abſolutum fuit, quia ANNVNCIATIO celebrata. Hinc Conceptionis dies, Natiuitatis, Viſitationis, Purificationis, Aſſumptionis. Prius quidem fuit concipi Virginem: at ſanctius concipere. prius etiam, naſci Virginem: at ſanctius parere. ANNVNCIATIO autem, quę INCARNATIONEM continet, prorſus cum partu Virgineo coniuncta eſt, ideóque *Exſpectatio partus* ab Eccleſiâ Toletanâ nominatur. Concepit igitur Virgo, ſed nonniſi per miraculum: concepit Deum; amplius iam dici non poteſt. Dei Filium quomodo vterus Virginis capiat, nemo mortalium capit. Doctiſſimi BAVHVSI mei, Poëtæ & Eccleſiaſtæ in Societate IESV eximij, exclamatio eſt: hanc lubens vſurpo:

Lib. v. Epigrāmatum.

Stupeſce terra: Olympicum,
Interminum Numen, Chao,
Omniq́; principio prius,

Cæli

Cæli ſator decemplicis
Et flammei arbiter ætheris,
Hic, hic Puellæ paruulæ
Et vix triluſtris Virginis
Vtero MARIÆ *clauditur.*
Vah! Punctus ambit Circulum.

* Priſci & ſancti Scriptoris verba adiicienda ſunt: *Quod natura non habuit, vſus neſciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælum, ſtupet terra, creatura omnis etiam cæleſtis miratur; hoc totum eſt, quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nunciatur.* Vellus cogitate Gedeonis, hæc figura eſt: Rubum ardentem, hæc figura eſt: Portam clauſam, hæc figura eſt. Qui rerum naturam explicant, volunt margaritam, non è concharum, ſed fulguris & aquæ commixtione formari, velut geminâ naturâ & origine, cæli ac maris. O Deus! adumbratum quodammodò INCARNATIONIS myſterium video. E Deo & Virgine Chriſtus eſt, geminamque naturam habet, Dei & Hominis. Dei, quia *conceptus de Spiritu ſancto:* Hominis, quia *natus ex Mariâ Virgine*. Fulgur Spiritum indicat, vnda Virginem. Deus in terram venit, Homo factus eſt, & in Deo Homine præter Humanitatem fuit Diuinitas: in cælum aſcendit, ab homine non abiit, & in Deo Homine pręter Diuinitatem fuit humanitas. Homo ex homine eſt, Deus ex Deo, è Virgine Chriſtus. Virginis nomen hîc quoque

* D. Hieronymo tribuuntur.

Iudic. VI
Exo. III.
Ezech. XLIV.

miraculum eſt: ſed quid?aliter generari, alitérque naſci Deum,par non fuit. Etiam virginis nomine & miraculo digna Maria habita,quia Deum pari-
Cant.IV. tura; digna Deo, quia labe & maculâ caruit. *Tota pulchra es amica mea*, *& macula non eſt in te*. Ne pulchritudine careret mater, Virgo permanſit: ne filius violaret pulchritudinem, è Virgine prodiit. Filius Amor eſt, & profanum tamen hîc Veneris nomen arbitramur. Vt pulchra omnia: ita & caſta ſunt: nullæ Gratiæ, niſi Virtutes; nullæ deliciæ,niſi diuinæ;nulla voluptas,niſi cæleſtis:ne quid deſideres, Virginitas fœcunda eſt. Ad myſterij ſummam redeo: A Virgine concipitur Deus. Et quid hoc eſt,ô Sodales? Quid? iam dixi, nec ſatis poſſum dicere,Deus fit Homo, & homo fit Deus:Deus nihilominùs remanet Deus,& homo remanet homo.Virgo generat filium,nec deſinit eſſe Virgo: adorat Deum, quem Hominem peperit: ipſa mater, ſe tamen filiam agnoſcit. Stupeo hæc tam arcana, repeto hæc tam mira: Chriſtus conceptus eſt, & qui Deus erat, factus eſt Homo, & permanſit Deus. Maria concepit, & quæ Virgo erat,facta eſt mater,& permanſit Virgo.ô Deus!non abis à cælo,& in terram tamen venis: non mutaris, & carnem tamen aſſumis: non eras homo, & poſtquam factus es, idem eſſe pergis, qui fuiſti. Quid porrò mentis aciem fatigamus? Hæc INCARNATIO eſt, quam profectò
qui

qui non ſcrutatur, intelligit; qui colit, ad Deum accedit. Vos ô Philoſophi, voluite cælos, numerate ſtellas, colligite ventos, mare, terram, aërem, omnemq́ue naturam expendite: quod tranſcendit omnia, feliciùs ignoramus, quàm inquirimus; faciliùs credimus, quàm explicamus: quippe τὸ τοῦ μεγάλου βασιλέως μυστήριον: cum Thaumaturgo loquar: μυστήριον τὸ πίστει γνωριζόμενον, οὐκ ἐρευνώμενον τῇ πολυπραγμοσύνῃ· μυστήριον προσκυνούμενον, οὐ ζυγοστατούμενον: μυστήριον θεολογούμενον, οὐ μετρούμενον. *Myſterium magni Regis; myſterium quod fide cognoſcitur, curioſitate non indagatur; myſterium, quod adoratur, non expenditur; myſterium, quod diuinâ non humanâ ſcientiâ definitur*. Toties ecce myſterium repetitur, nec adhuc ſatis eſt: nos Miraculum, miraculum, miraculum, exclamemus. Tale eſſe quiſque confitetur; & fortaſſis comparatione incipientis naturæ magis percipiet, ampliuſq́ue obſtupeſcet. Primum hominem è terrâ virgine formatum eſſe, quis miraculum neget? hîc è ſanguine virgine ſecundum formari hominem, miraculo maius eſt. E viro ſine muliere formari mulierem; quis miraculum neget? hîc è muliere ſine viro Deum & Hominem naſci, miraculo ſanctius eſt. Primum illum hominem ad ſimilitudinem Dei creatum eſſe, quis miraculum neget? hîc Deum ad ſimilitudinem hominis fieri, miraculorum miraculum eſt. Miraculorum, inquam, miraculum eſt, & fa-

In Annunciationem Ser. III.

cili tamen prouidentiæ ordine ſubſiſtit. Etenim cùm generis humani protoplaſtus ſine viro & feminâ, vxor eius è viro ſine feminâ, ceteri tam viri quàm mulieres, è viro & muliere prodierint; reliquum erat, vt Dei Filius è feminâ ſine viro naſceretur. Prorſus cùm mulier non eſſet, primus Adam è terrâ, ſed virgine formatus eſt: cùm terra non eſſet virgo, ſecundus Adam è muliere Virgine prodiit. Fanatici olim homines quidam peruersâ opinione tam ſublimia violare dogmata maluerunt, quàm vt capere non viderentur. ne rudes ſcilicet eſſent, impij & blaſphemi fuerunt. Cerdon & Marcion in Chriſto eſſe carnem negauerunt: quid ita? Deum eſſe hominem παράλογον videbatur. Quò itum eſt? vt ſtatuerent, nec Mariam matrem eſſe Dei. Heluidius, ſimilíque errore Ebion & Cherintus matrem Dei flore Virginitatis ſpoliant: quam ob cauſſam? Virginem parere, natura non permittebat. Quid porrò? Non minùs Deum, quàm Virginem violare auſi ſunt. Neſtorius MARIAM Χριστοτόκον fatetur, Θεοτόκον negat: quo furore motus? Deum immortalem è muliere mortali naſci, alienum à Numinis maieſtate erat. Docuit igitur duas in Chriſto perſonas eſſe, & ingenioſus haberi voluit. Monſtra hæc opinionum fuêre, & à Concilio Chalcedonenſi olim damnata. Pietas aſſerit, Chriſtum è Mariâ carnem aſſumpſiſſe, natumque eſſe: aſſerit

natum è Virgine: aſſerit natum eſſe Deum Hominemque. O grande myſterium! ô inuſitatum miraculum! concepit Virgo, vt ſecundùm carnem è Virgine naſceretur Deus, & Filius Dei, filius eſſet Virginis. Pater eſt Deus; ille tamen naturam humanam non aſſumpſit. Spiritus ſanctus, Deus eſt; ille tamen incarnatus non fuit. Filius incarnatus eſt; & ille tamen totus eſt Deus: CHRISTVS eſt, & ſanctiſſimo nomine rem totam complexus ſum. Chriſtus autem, ſi Diuinitatem ſpectas, VERBO; ſi Humanitatem, CORPORE & ANIMA conſtat, & vnus eſt. neque eæ tamen οὐσιωδῶς partes ſunt; vt formam Diuinitas, materiamque Humanitas Dei Hominis conſtituant. Chriſtus enim non id eſt, quod è Verbo, Animâ, Carne componitur, ab his diſtinctum; ſed Verbum, Anima, Caro eſt: quemadmodum Deus non è Patre & Filio & Spiritu ſancto; ſed Pater & Filius & Spiritus ſanctus eſt, ſimpliciſſimo & ineffabili modo, imò nodo. Vnde in Deo tres perſonæ ſunt, & vna natura: in Chriſto tres ſubſtantiæ, & vna perſona, quæ duas naturas continet, Diuinitatem & Humanitatem. Sic Chriſtus eſt Deus, & Deus eſt Homo: ſic Filius eſt Virginis, qui Pater eſt omnium; & Filius eſt Dei, qui cum Patre eſt Deus. Videmus, ô Sodales, Chriſtum eſſe Deum, & ſimul Hominem; quia *Verbum Caro factum eſt*: Videmus Humanitatem Chriſti à Ver- Ioan. 1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bo non ſeparari. Gemino hoc myſterio Deus & Homo eſt, qui *conceptus de Spiritu ſancto*; homo & Deus eſt, qui *natus ex Mariâ Virgine.* Natus, vt in mortuorum etiam numerum veniret, homo, non Deus; nec à Deitate Humanitas diuidi poſſet. Dixeris etiam mortuum eſſe Deum, qui ab Homine ſeparatus non eſt: & tamen numquam non vixiſſe, qui deſinere numquam potuit, quia ſemper fuit. Ab æterno fuit, ab æterno Deus, & ab æterno Filius Patris: idem cum Deo, alius à Patre. Filius enim diſtinguitur; Deus verò nequaquam. Verumtamen, vt Deus Homo eſſet, qui non deſinebat eſſe Deus, & vt Dei Filius, Filius eſſet Virginis, qui non deſinebat Patrem habere Deum; animam accepit & corpus: accepit, quod vnuſquiſque noſtrûm poſſidet. Sed cum animâ & corpore Verbum coaluit: hîc natura ſtupet. Corpus à Virgine ſumptum eſt, anima à Patre & Filio & Spiritu ſancto in Conceptione condita. A Patre, quia vt Deus homo fieret, ſummâ opus erat potentiâ; hæc Patri tribuitur: ſummâ ſapientiâ; hæc Filio: ſummâ charitate; hæc Spiritui ſancto. In tam immenſo opere tres ſimul Perſonæ occupantur, Tertia verò nominatur. Vna imprimis Charitas operata eſt; vnus Amor, Diuinus Amor, incredibilis Amor, à ſummâ maieſtate ad extremam humilitatem Numen deduxit. Sic verò Filius Dei dicitur, qui de Spiritu ſancto conceptus,

ptus,& ſecundùm Carnem formatus eſt:non autem Filius Spiritus ſancti. Deinde & Filius Mariæ dicitur; quia ex Mariâ natus, à Virgine accepit, quidquid dare mater ſolet. Auguſtini auctoritatem quis reiiciat? *Natus eſt Chriſtus de Spiritu ſancto,ſed non ſicut Filius: & de Mariâ Virgine,ſicut Filius.* Tam ſublimis doctrinæ compendium non poſſum breuiùs clariúſque, quàm D. Athanaſij verbis dare. Ille loquatur Deum, nos venerabimur: *Chriſtus Dei Filius, Deus & Homo eſt. Deus ex ſubſtantiâ Patris ante ſæcula genitus; & Homo ex ſubſtantiâ matris in ſæculo natus. Perfectus Deus, perfectus Homo, ex animâ rationali, & humanâ carne ſubſiſtens. Aequalis Patri ſecundùm Diuinitatem, minor Patre ſecundùm Humanitatem. Qui licet Deus ſit & Homo, non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus. Vnus autem, non conuerſione Diuinitatis in carnē; ſed aſſumptione Humanitatis in Deum. Vnus omnino, non confuſione ſubſtantiæ; ſed vnitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & Homo vnus eſt Chriſtus.* Tot ecce myſteriis ad nos Salus venit, ad homines Deus. Fruſtrà verò venit, niſi ad ſalutem nos pariter, & ad Deum eamus. Quomodo venit? per Virginem. noſtra vota, ſi ad Deum tendunt, per Virginem dirigenda ſunt. Quo gaudio nobis Deum dedit, eâ pietate nos Deo reddet. Dedit enim, vt redderet. Et nos filij ſumus: matrem ſe illa gerit; imò mater

Enchir. cap. XL.

In Symbolo.

mater illa eſt, vt filios nos eſſe cogitemus. Deum genuit, homines adoptauit. alterum thauma, alterum beneficium eſt. Beneficium, quo tamquam nati obligamur. Vitam à parentibus hauriunt liberi: ſed nos ſi tales ſumus, ſalutem à Virgine hauriemus. A Virgine, & ſic à matre. Matrem non agnoſcimus, niſi quæ Deum concepit & peperit. Deum autem concipere & parere non debuit, niſi quæ virgo eſſet. Homines ſumus, carne veſtiti, morti obnoxij: hæc omnia in Deo ſunt. Videamus: Homo factus eſt, vt deleto originis reatu, ad Deum homines reduceret: Carne veſtitus eſt, vt in hac mole corporis & carcere lumen & ſanctitatem mentis amaremus: mortuus eſt, vt per hanc naturæ ignominiam ipſi viueremus. Cogitate, Sodales, cogitate, noſtrâ cauſsâ Deum factum eſſe quod ſumus, noſtrâ cauſsâ tanti operis memoriam inſtitui, myſterium celebrari: ſanctam memoriam, ineffabile myſterium: ita ſimul ſuaue eſt, colere, nec tamen intelligere; quonam diuini amoris ſacramento vita noſtra conſtet, ſed cum Deo duratura; quonam ſalus noſtra, ſed à nullâ fortunâ pendens; quonam felicitas noſtra, ſed infinita. Quid ampliùs curioſus ſum? Religione hæc, non ratione comprehenduntur. Si quæro aut inueſtigo, iam dubitare cœpi. credenti nihil difficile eſt: ſcrutanti nihil non arduum, & implexum. Hoc ſatis eſt: myſterium eſt. Itaque vt ad

RITVM

RITVM & RELIGIONEM tranſeam, Pietas veſtra permittet. Venturus ad homines Deus, humanum etiam morem ſequi voluit: inſinuare maieſtatem, priuſquam infirmitatem indueret. E cæli ſolio miſſus eſt Legatus, Caduceator miſſus eſt, pacem & ſalutem nunciaturus. Pax & ſalus ipſe erat Deus: ſed hæc à nobis profligata, redire niſi per Deum non poterant: nec redire ad homines, niſi Deus fieret homo. Sanctiſſima igitur & plena bonorum rituum hæc Legatio eſt; imò hæc ANNVNCIATIO eſt, veluti ſignum, ſymbolum, teſſera Chriſtianæ pietatis, apud omnes vtriuſque ſexus ordines vſurpata. Breuiter: vultis viros & milites? hoc nomine tituloque Amadeus Allobrogum Princeps, anno M. CCCC. IX. Equeſtrem Ordinem inſtituit, torques bullaſque aureas diſtribuit, quæ & imaginem ſalutantis Virginem Angeli, & formulam circumſcriptam, AVE MARIA GRATIA PLENA, continerent. Vultis feminas & religioſas? Ioanna Galliæ Regina, Ludouici XI. filia, Caroli VIII. ſoror, Ludouici XII. vxor, ex aulà ad cœnobium tranſiens, à Rege ad Deum, anno. M. D. I. Virgines vitæ ſocias aſſumpſit, ab ANNVNCIATIONE Virginis nuncupauit: quâ conſilij ſanctitate, tituliq; reuerentiâ, quid niſi diuortium ſuum conſecrauit? Compendioſus ero, & vt omnia dicam, SODALITATEM hanc noſtram illam omnis modeſtiæ & pietatis

D officii-

officinam, indicabo. Romæ, anno M. D. LXXXIV. rogatu Reuerendiſſimi Patris CLAVDII AQVAVIVÆ, à Gregorio XIII. & exemplo Magni Dominici erecta, ac deinceps, cum bono orbis terrarum, in Academias omnes inuecta eſt: vt vbicumque iuuentus eſſet, Annunciatio eſſet; vbicumque doctrina, Virgo coleretur; vbicumque Societas IESV, religio & religionis ritus creſceret. Sed hanc nunc religionem, hunc ritum magis ſpecto; & Dei, Angeli, Virginis cauſsâ ANNVNCIATIONEM veneror. Qui mittit, vt dixi, Deus eſt, ille immenſus, ille ęternus, ille admirandus, cuius ſubſtantia vnitas eſt, cuius perſona trinitas, cuius magnitudo immenſitas, cuius natura bonitas, cuius voluntas æquitas, cuius vita felicitas, cuius ætas æternitas. Deinde qui mittitur, Angelus eſt, GABRIEL eſt, quem alij *Fortitudinem Dei*, alij *Deum & Hominem* explicant: & rectè fortaſſis vtrique. Hęc enim fortitudo erat Dei, Deum Hominem fieri. Quid verbis opus eſt? Quantum poſſit Deus, hic dies teſtatur. Denique Virgo, ad quam Deus mittit, Angelus mittitur, MARIA eſt, MARIA eſt, Sodales. An aliter appellabo? an Dominam? an Reginam? an quod maius eſt? Ipſa
Luc. 1. ſe ancillam nominat. *Ecce Ancilla Domini*. Item: *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*? Tu Ancilla? ô Virgo, quæ *Benedicta in mulieribus*? quæ *gratiam apud Deum inueniſti*? quæ *Deum ipſum paries*? Placuit

cuit tibi Ancillæ nomen, vt faſtum omnem proculcares: vnde cùm iam vtero grauida eſſes, animus tamen nequaquam intumuit: hoc erat verè Deum ferre. Quid etiam? placuit tibi Virginis nomen, cùm matris iam audires; non minùs ſollicita, vt Virgo permaneres, quàm læta, vt fieres mater. Nondum didicerat ſanctiſſima puella, ô Sodales, ſine coniuge diuinas nuptias celebrari, ſine viro naſci filium poſſe, caſtimoniam à cælo fecundari. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* Sed non minor Deo Virginitatis cura fuit, quàm Virgini: homo futurus, noluit niſi è Virgine naſci. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* E Virgine, quæ carere filio maluiſſet, quàm virum non ignorare; non eſſe, quàm imminui. Hæc igitur MARIA eſt, hæc virguncula eſt, in ſponſam & ſimul matrem à Deo electa, cęlo deſponſata. Sed electam eſſe, deſponſatam eſſe, Angelus nunciat. Virgunculam dico, & ætatem comprehẽdo: decimo enim quarto, vt volunt, anno completo, Deum vtero geſtare cœpit: iam bis, vt veterem mythologiam vſurpem, Minerua: Heptas enim Minerua dicitur: in quo annorum numero duæ heptades continentur. Bis Minerua, id eſt bis Virgo. Virgo ante partum, & Virgo poſt partum; quia in partu. Quid mirum? ſine labe, ſine libidine Generatio fuit: putes Solis radios per vitrum traluxiſſe. A matre inuiolatâ Fi-

lius ſine viro conceptus prodiit: vt dies ab Aurorâ, calor ab igni, odor à flore. Hoc annunciare Angelus potuit, explicare non potuit. Deus ſciuit, & ſublimiorem ſacræ Legationis conditionem fecit. Quídni verò à profano ritu hanc quoque pietatem augeam? Ex hortis & pratis Veris delicias legimus, templa & aras conſpergimus, ſtatuas & imagines redimimus: ſic litteris vtar, flore & fragrantiâ Paranymphi Legati ad ſponſam Virginem iter præſternam. Veteres ſollenni ritu * κηρύκειον, ſiue caduceum, inſigne eſſe Legationis voluerunt. Virga hæc Mercurij fuit, colore niueo. ſupernè duo angues lubricis amplexibus inhærebant, mas & femina, & in formam litteræ Φ contorti. Additum & geminum Amaltheæ cornu, non ſine venuſtate pompam vtrimque concilians, vt ſuo ritus ornatu creſceret. In promptu quoque ſignificationis amœnitas. Myſterij noſtri ritus & religio imaginem velut capiunt. Virga enim candida, læta omnia & pura ſignificat: at in Annunciatione Virginis læta omnia ac pura fuerunt. Serpentes, prudentiam: hæc in vno Deo perfecta eſt. Vterque ſexus, fecunditatem: hîc ne ſexu quidem opus fuit, vt iam ſterilis videretur Natura. Verbo, non ſemine intumuit Virginis vterus; & omnis fecunditatis auctor nouam ſumpſit originem, cœpitque rurſum qui ſemper fuerat. Geminum verò Amaltheæ cornu, plena pacis

** Hoc titulo egregium de Legatis volumen conſcripſit* FRED. MARSELARIVS, *Eques Auratus & Lauretanus, olim Auditor meus, Vir dignus Caduceo, & generis nobilitatem doctrinâ virtuteq́; ornans.*

bona

bona non ſignificat, ſed oſtendit. Si & Mercurium conſiderem, cuius hoc inſigne eſt; Legati noſtri ſimulacrum video. Etenim vt Angelus mentis diuinæ interpres eſt & nuncius: ita & Mercurius Διὸς ἄγγελος, imò Διάκτωρ appellatur, ὡς διάγων τὰς τῶν θεῶν ἀγγελίας. *Tamquam peragat quæ à Dijs nunciantur*. Quid nunc de officioſâ picturæ pietate dicam? Non ſine ſceptro hactenus pleræque imagines Gabrielem nobis repræſentant. Sed ſi permittendus hic error; ſaltem mutandus erat. Crux potiùs, quàm κηρύκειον pingi debuit: hac potiùs maieſtate inſigniri pronuba Legati dextera, vt non minùs geſtu, quàm ore loqueretur: Crux, inquam, pingi debuit, quæ totum Virgini Chriſtum exhiberet. Capi, cędi, ſuffigi hominum cauſsâ Deus ſtatuerat; corpus ſuum non contentus impendiſſe, reliquit; magiſque moriendo, quàm viuendo videri Chriſtus voluit, qui vita omnium erat. Hæc certamina, hæc trophæa ſalutis ſunt: ſic Deus vincit. Stratos à piis Principibus tam ſalutari ſigno exercitus hoſtium, an mirum? Deum ſecuti ſunt. Si rectè calculum ponimus, numquam ſine cruce Chriſtus fuit: cum cruce nunciare Chriſtum Angelus potuit. Appoſitè etiam: crux fortitudo Dei eſt, eamdem nomine ſuo Gabriel ſignificat. Crux, pacis & ſecuritatis teſſera eſt: neque à Caduceo abit. nam quod ad colorem, candor innocētiæ & puritatis typus eſt: at ſine culpâ,

ſine labe fuit, qui crucem conſecrauit. Quod ad ſerpentes, myſtici ſunt: at ſerpens ille æreus in ſalutem Iſraëlitarum à Moyſe erectus, Chriſti Ser-uatoris imago fuit. Ipſius verba ſunt: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Non à templis, non à ſacris crucem religio ſeparat: ſic nec olim Caduceum ſuperſtitio. Ferrea æreaque in priſcis Lauiniatum adytis fuiſſe, ex Timæo Dionyſius Halicarnaſſeus tradit; Aureum in Anubis æde, Lucianus. Coluit cæca Antiquitas Caducei myſterium, imò in ſollennibus pompis * alibi circumtulit; nos Crucis: illa pacis ſignum; nos pacis & ſalutis. Hanc ſanè vtramque Legatus noſter Spiritus, ille *cælo demiſſus ab alto.* ille Mercurio melior, facundiórque indicare Virgini aliquo & ſigno & geſtu potuit, priuſquam orationem formaret. Veſtitus corpore, hominem repræſentat, qui non erat, apparet; vt verè Chriſtus eſſet, quod nunciaretur. Quis deinde ornatus? lumen, radij, iubar, & ipſa rerum natura ridens. Deus aderat, quid deſiderares? Venit à Deo Angelus, & in Virgine inuenit Deum: celerior Angelo Deus eſt. Sic Angelum vidit Virgo, & intellexit Deum: vidit veſtitum corpore, vt ſciret corpore Deum veſtiendum. Quid reliqua commemoro? Ver erat, & ſpirabat Fauonius: concipi tam opportuno tempore flos æternæ Sapientiæ debuit. Νεομηνία erat, ſiue coniunctio Solis & Lunæ:

Ioan. III.

Lib. I. Antiq.

In Toxari.

*In admirandâ illâ Ptolemæi Philadelphi pompâ, quæ ab Athenæo lib. v. deſcribitur.

næ: opportunè iterùm: Sol noſter Deus eſt, Luna noſtra Virgo eſt; Deus Virgini iungitur. Noctis ſilentium erat: opportunè quoque: adhuc abſcondi hoc myſterium debuit. Tale Sapientiæ vaticinium: *Cùm enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus exiliens de cælo à regalibus ſedibus venit*. Et quid noctem accuſamus? Sic natus eſt Chriſtus: ſic & conceptum eſſe plena menſium ennas perſuadet. Ergo fecit diem, non inuenit. An inuenire etiam potuit? *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Nulla apud homines lux erat, quia vita non erat. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum*. Error, cæcitas, ſuperſtitio, ſcelus inuoluerant omnia: hæ tenebræ erant, omnémque in principio creatum diem ſepeliuerant, lumen omne extinxerant. Nouo Sole opus erat, vt quatuor annorum millium nox vinceretur. Sol Chriſtus eſt: & quídni repeto? fecit diem, non inuenit. Inuenit tamen, inuenit, ô Sodales. vbi? apud Virginem: omnes illa humanæ imbecillitatis, malitiæ, iniquitatis, tenebras ignorauit. Relucebat igitur: ſed ſeptem hîc potiſſimùm virtutibus, velut facibus, in aduentum cæleſtis & legati & ſponſi accenſis. Quæſo mentis adhibete oculos, clariſſimum vel in mediâ nocte diem viſuri. Prima Modeſtia eſt: nam cùm ab Angelo Virgo ſalutaretur, tacuit. Secunda Verecundia:

Sapient. XVIII.

Ioan. I.

dia: *Turbata eſt in ſermone eius.* Tertia Prudentia:
Luc. 1. *Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Quarta Virginitas: *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Quinta Obedientia: *Ecce Ancilla Domini.* Sexta Submiſſio: nam *Ancillam* ſe nominat. Septima Fides: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Illuſtres hæ faces, & planè Mariâ dignæ ſunt. Illæ lucent, hæc ipſa Illuminatio eſt, & ſic nominatur. Καὶ τῇ ἁγίᾳ παρθένῳ λίαν πρέπον ὄνομα, inquit Thaumaturgus. Μαρία γὰρ ἐκέκλητο, ὅπερ δὴ φωτισμὸς ἑρμηνεύεται. *Et Beatæ Virgini perquam aptum hoc nomen. Maria enim nuncupata: quod Illuminatio dicitur.* Sed nunc ſanctiſſimam, & numquam tacendam nobis Salutationis formulã veneremur. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετά σε, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν. *Aue gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Audi Virgo, Aue Virgo: Gratià plena es, Deum, quem concipies, iam habes. *Inueniſti enim gratiam apud Deum.* Nihil eſt, quod in Deo non eſt: ſic omnia adſunt bona, quem penes eſt Deus. Audi Virgo, Aue Virgo: hæc iam Chriſtianorum omnium vox eſt, pietatis apud omnes teſſera: Sodalium tuorum vox eſt, familię tuæ teſſera. qui te colunt, Gabrielis ore loquuntur. Aue igitur, aue, aue: adhuc Angelum audis. Audi, audi, audi: adhuc, ô Virgo, ſalutaris. Cogitemus, Sodales, non exiguum hunc ritum eſſe, quo ſacratiſſimæ Incarnationis myſterium quotidie renouatur. pauciſſima

In Annunciationem Serm. II.

Luc. 1.

ma verba ingens pretium pondúſque habent, & mentem cuiuſque à terrenis ad cæleſtia, à perituris ad æterna, ab homine ad Deum attollunt. Qui Virginem ſalutant, Deum ſalutant: cum Virgine Deus eſt, cum Deo Virgo eſt: Mater cum Filio, Filius cum Matre. Salutemus, ſalutemus, Matrem & Filium: vt pia ſunt verba, ſic fecunda ſunt; ad dicentem redeunt. Ipſa & Virgo fecunda eſt; quidquid audit largitur, & plus quàm audit. Audit Χαῖρε, largitur Χαῖρε & Ὑγίαινε. Χαῖρε Antiquis ἑώθινον πρόσρημα, ſiue *matutina ſalutatio*, Latinè *Aue, Salue, Gaude*; Ὑγίαινε, ἑσπέρινον, ſiue *veſpertina*, Latinè *Vale*. Illa propriè in acceſſu, hæc in receſſu. Sic ergo ſalutamus Virginem, tãquam cum diei auſpicio, & vitæ exordio hic cultus coniungatur. Virgo ipſa nónne noui diei, nouæque vitæ Aurora eſt? Solem produxit. Homines verò quoties ab hac Aurorâ, & ab hoc Sole remoti ſunt, infelici veſperâ inumbrantur: quoties à Virgine & Filio Virginis recedunt, vitiorum vrgentur caligine, & in miſeriarum vincula ſe ipſi dedunt. O Sodales, an putatis valere hominem, qui cæleſti gratiâ deſtitutus eſt? ne viuit quidem. Cælo indignus, mihi ne quidem in terrâ videtur agere: quia enim peccato, iam ſe morti mancipauit, & contubernio inferorum. hoc vno felix, quòd corrigi, emendari, viuere, & valere denuò poſſit. Conuertat ſe ad Virginem, τὸ Χαῖρε dicat; & τὸ Ὑγίαινε auditurus eſt:

Gratiâ plenam inuocet, & gratiæ riuum impetrabit. O ſuaue igitur verbum χαῖρε! O ſalutare κεχαριτωμένη! Plena eſt Virgo gratiâ, quia Deo plena. Plena, & ſimul inexhauſta; plena, & profuſa. tam enim facilè deriuat, quàm abundat: nec ſatis illi, fontem eſſe, niſi & amnes emittat. Hos expetimus; fac ô Virgo, vt fluant: hos ſitimus; fac vt effluant. Agelli noſtri aridi, ſicci, & infecundi ſunt, rigari debent; imò otioſi, inculti, horridi ſunt, purgari debent. Alibi

Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.

Benigna hîc eris, ſi ſeueram experiemur. Runca, auerrunca: mederi non potes, niſi excîdas. Vt tui ſimus, ne radices quidem malorum relinquendæ ſunt. Tui verò erimus, ſi tu nobiſcum eris. Nam tu fuiſti Dei, quia tecum ille fuit. Ο Κύριος μετά σου. O Virgo *inueniſti gratiam apud Deum*; fac vt & tuâ eamdem interceſſione inueniamus. Nobiſcum ſit Deus, & nullum hoſtem, nullam tenebrarum poteſtatem timebimus. Tecum eſt: fac & nobiſcum ſit: ſic & ipſi tecum erimus, cum Patronâ clientes, cum matre filij. Sed quid hæreo? qui ex te natus eſt, nobiſcum eſt. imò quia natus eſt; aut certè deſinat eſſe quod eſt. Qui natus eſt, EMANVEL eſt, id eſt, *Nobiſcum-*
Iſaię VII. *Deus*. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*. Virgo concipiet: tu illa Virgo es. & pariet: tu illa puerpera eris. Nomen

men eius Emanuel, id eſt, Nobiſcum Deus. Et quomodo nobiſcum Deus? quia Homo ſimul & Deus. Paulinum oraculum eſt: *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrûm: in ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus.* Actorū cap. xvii. Antiquiora repeto: Deus cùm nondum homo eſſet, & plenum Moyſi Numinis fauorem, ad vindicandum à ſeruitute populum ſuum promitteret, eâdem formulâ vſus eſt: *Ego tecum ero.* Vnde difficile balbutienti non fuit, Pharaonem alloqui: non fuit, totam Iſraëlis poſteritatem ex Ægypto educere: non fuit, leges à Deo acceptas ferre. Ioſue deinde tam validâ præſentiâ munitus, vincere hoſtes potuit. Promiſſum Numinis eſt: *Sicut fui cum Moyſe; ita ero* Ioſ. 1. *tecum.* O dulce alloquium! ô firmum præſidium! Sed quibuſcum igitur Deus eſt? Qui & ipſi cum Deo ſunt, & ad præſcriptum diuinæ legis viuunt. Quibuſcum Virgo eſt? Qui & ipſi cum Virgine ſunt, & in ſacram eius militiam adſcripti. Vos eſtis, ô Chriſtiani; cum Virgine eſtis. Vos magis eſtis, ô Sodales; peculiari ritu & religione ANNVNCIATIONEM colitis, & profectam à Deo formulam, ab Angelo prolatam, quotidie ſæpiùs ſæpiuſque recitatis. Hoc omnium elogiorum compendium eſt, omnis pietatis initium, omnium virtutum velut norma & exemplum. Virginem ſalutare, imitari eſt: nam fruſtrà inuocat, qui non ſequitur. Virginem ſalutare, eſt

E 2 Filium

Filium eius colere: magnus enim hic nexus eſt, Matrem eſſe Dei. Denique Virginem ſalutare, eſt ad ſalutem ire: quippe in Virgine VERBVM CARO FACTVM eſt, vt ſalui eſſemus. Simus, ſimus, ô Sodales! tantique voti, quo nullum eſt maius, nos compotes Deus Homo, & Mater Virgo reddat.

DIXI.

DE
ANGELI SALVTATIONE
ET IN EAMDEM
AMPLISSIMI PVTEANI
LVCVLENTISS. ORATIONE.

ANGELICVM *Carmen dia Gabrielidis Odæ*
Jllud ter-ſanctum XAIPE * שְׁלָם לָךְ, AVE,
Si fas eſt vllis hominum componere verbis
Quæ Cecropis ſtupuit, quæ domus alta Remi:
De tantâ meritò certet, me Iudice, palmâ,
Angelicum enarrans nunc PVTEANVS AVE.
Sed non fas: neque enim, licet aureus Heſpiter Jgnis,
Se flammis confert, auree Phœbe, tuis.
Eſt PVTEANE *tamen quiddam, quo cedere poſſit*
Aliger; eſtq́ tuum, quod velit ille ſuum.
* *Turbata eſt* XAIPE *Angelico Jeſſeïa Nympha,*
At turbata nihil, ſat ſcio, XAIPE *tuo eſt;*
Pallida ad Angelicam * *timuit Naſareïa laudem,*
Ad laudes conſtat non timuiſſe tuas:
Dulcè ſed arriſit; riſit Cæli omne Theatrum,
Et PVTEANÆVM *plauſit ad Eloquium.*
Quid dicam PVTEANE *ſuper? nunc concipe vota*
Mille tibi, & Patriæ concipe mille tuæ;
Mille ad vota, vnum (ſed quod cuncta expleat) vnum
Ter-felix verbum, reddere DIVA *parat.*
Quod Paranympho olim, reddet tibi: ſat fuit illi,
*Sit tibi ſat: vota ad omnia,** FIAT, *habe.*

* *Schelam lech, quod eſt, Pax tibi: ſic Angelus Syriacè dixiſſe creditur.*

*Luc. 1. verſ. 29.

*Ver. 30

*Ver. 38

 CEN-

CENSVRA.

QVOD diuinus Propheta difficile enuntiauit, Dominicæ Natiuitatis enarrando penetrare ſecretum, & abſconditum ſæculis nudare myſterium, id V.Amp. ERYCIVS PVTEANVS cùm voce,tum ſtyli elegantiâ, Parthenico apud Grudios ſodalitio liquidò exhibuit. Vt qui velut intra thalamum Sponſæ Cæleſtis admiſſus, ipſis Angelis inuiſibile ſacramentum præſenti Oratione reuelat. Et ad illius pectoris cubiculum Auditorem nuper, nunc Lectorem ſuum ducit, vbi tota Regis ſuperni, tota diuinitatis maieſtas quieſcit. Denique ſuperni Interpretis nuntia,auguſtamque humanæ redemptionis legationem rimatur. Vnde meritò ad tanti myſterij commendationem typis & luce donabitur. Ita cenſeo, III. Maij, M. DC. XVIII. Antuerpiæ,in Seminario Epiſcopali.

LAVRENTIVS BEYERLINCK
Archipreſbyter, & Canonicus Eccleſiæ Cathed. Antuerp. Librorumq; Cenſor.

Cum Priuilegio Sereniſſimorum Belgicæ Principum.

Signat.

J.Cools.